

Alte Drucke

APOLOGIA || FRANCISCI || MONTANI PRO SOCIETATE || IESV IN GALLIA. || CONTRA ANTONII ARNALDI || Aduocati Parisiensis Philippicam. || Ex Gallico in ...

Richeome, Louis

Cracoviae, 1597

Caput XL.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-154864

titent, & vnde vitam tolerant, ostiatim emendicent. Quòd si Collegiū prouentus sufficiat alendis necessariis eo in loco sociis; nullas vel petere, vel oblatas acceptare eleemosynas licet: Si reditus maior sit, quàm pro incolarum numero; præcipitur in Constitutionibus, vt Scholasticis egenis victum ad Ecclesiæ emolumentum suppeditent: adeò illis commendatur religiosæ paupertatis studiū, & cura benè & fideliter dispersiendi ea, quæ Dominus ipsis elargitur.

CAPVT XL.

De domibus professis Societatis Iesu.

tertium locum obtinent domus professæ, quas incolunt, qui præter supradicta Religionis vota professionem fecerunt, aut vota publicè ediderunt; quiq; post multos in Collegiis exantlatos labores, pluribus annis docendo, concionando, & alias functiones suo Ordini consentaneas obeundo, eò mittuntur; vt iisdem functionibus ad finem vsq; vite vacent, docendi munere excepto. Si nulla sit huiusmodi domus in prouincia, solitis laboribus insistent, aut in Indias mittuntur, aut ad alia loca in vineam Domini. Domus ista nullos potest habere redditus, nec eleemosynam stabilem & perpetuam, imò neq; pro ipsis Ecclesiæ sartis tectis, neq; pro sacrarij conseruatione & exornatione. Et licèt Concilium Tridentinum concesserit omnibus Religiosis paucis exceptis redditus in communi; tamen Societatis professi concessione huius participes esse nequeunt, cum tali privilegio simpliciter sese abdicent, vt & omni iure ad bona immobilia, quæ quoquo modo ad illos deferri possent. Et vt omni ex parte arx ista Religionis muniretur, professi, post professionem vouent, se nunquā permissuros, vt paupertatis

Domus professæ
caret redditibus

Seß. 25. c. 3.

tis

tis leges in Societate laxentur, sed potius vt restringantur, si quando necessitas exigeret.

Nec potest egestas domuum professorum subleuari Collegiorum redditibus, neque Collegia id faciendi ius & potestatem habent, sed quotidianis eleemosynis, & piorum hominum munificentia sese tueri debent. Quæ lex tam arcta & rigida est, vt professus ali nequeat in Collegio, nisi ei sit vsui, ita, vt in eo simul laboret & manducet. Huiusmodi domus professæ visuntur Romæ, Neapolî, Mediolani, Venetijs, & alibi; talis erat domus S. Ludouici Parisiis, fundata quondam à D. Cardinali Borbonio. Quæ fundatio in eo consistit, vt vna & prima vice Ecclesiæ suppeditentur necessaria, de habitatione, bibliotheca, de mobilibus atque suppellectili sacra prouideatur. *in quibus locis sint domus professæ.*

Hæc tria domorum genera, quantum ad paupertatem, quatuor habent communia: Primum, ex eleemosynis viuere, eo tamen discrimine, quod modò indicaui: nam domus probationis & Collegia viuere possunt ex eleemosynis fundatis & perpetuis, hoc est, ex redditibus eleemosynæ nomine in perpetuum assignatis; sed domus professæ precario victitant, nec possunt gaudere redditibus. Secundum, neq; possidere, neq; quicquam possidere posse priuatim tamquam proprium; idq; non ex præscripto Reipub. Platonicæ, sed ex perpetua omnium Religionum consuetudine: quo de genere censentur pecunia, bona mobilia, vestitus, mensa seu conuictus, domus, ita vt *Meum & Tuum* ab huiusmodi Deo dicatis familiis procul exulent, grandeq; habeatur sacrilegium, peculium apud aliquem reperiri, excepto Procuratore & Superiore, quibus pecunia commissa. Tertium est, nihil posse accipere, quo videantur vlllo modo compensari Societatis labores, & ministeria, vt lectiones, conuersiones, sacrificia, audita confessiones, preces, & similes functiones.

ctiones Societatis instituto consentaneæ. Quartum est, in nullo Societatis templo habere arculam seu gazophylaciū, in quod eleemosynæ coniciantur. Quæ duo postrema sanctius longè & inuiolabilius obseruant, non quòd existimēt, non esse licitum de altari viuere ei, qui altari deseruit; vel quòd cæteræ Religiones non possint mercedem & eleemosynas pro laboribus susceptis, vel munera Ecclesiæ oblata meritò admittere; sed vt arctiorem sibi paupertatis obligationem imponant, dum non modò illicitis, sed etiam concessis per eam sese abdicant. Et vt alij Religiosi interdixerunt sibi multis rebus licitis, nonnulli Societate, conuictu, & colloquiis familiaribus, vt Carthusiani; alij certo ciborum, alij certo vestitus genere, vt ferè omnes, licèt alij mitius, alij seuerius; non quòd existimauerint, istas res & commoditates esse per se malas; sed vt maiori perfectione & vitæ austeritate Deo seruirent: Parí ratione Iesuitæ voluerunt priuare se etiam iis, quæ poterant accipere, & quæ aliis licita: vt Deo maiori puritate seruirent, nihil aliud sperantes etiam in hac vita præter illum, nec ab alio quidquam retributionis quàm à Deo expectantes. Et vt istæ leges ipsis fuerunt à Deo sanctissimè datæ, ita etiam ab ipsis seruantur religiosissimè.

Hinc si legibus & regulis suis loquuntur, & si opera à legibus non dissentiant, sed si potiùs tam illæ quàm hæc, planè cum arctissimæ paupertatis sanctionibus, caducarumq; rerum despicientia concordant: & si tu, licèt omnes neruos contenderis, nihil quo contrarium ostenderetur, attulisti; quo ore Iesuitas auaritiæ insimulare audes? Annè Rhamnū
 25. c. 3. In nou. arbitraris illam arborem, quæ folia & fructus ficulneæ gerit?
 Const. 5. de Monachis Iesuitæ priuauerunt se priuilegiis, quæ Concilia & leges ciuiles illis concedebant, vt scilicet haberent redditus, iusq; acquirere hæreditarium in res & facultates suorum sociorū;
 Consti-

Constitutiones & actiones nihil aliud sunt, quàm contemptus & abdicatio bonorum caducorum: & tu dicis, eos querere, prædari, & rapere pecunias, familias, & opes viuientium simul & mortuorum, extrema quadam auaritia. Vnde habes, quod ais? Et vnde hanc tuam conclusionem deducis? Dic, quæso te, quâdoquidem lingua tibi adeò volubilis, & ad quoduis effutiendum tam procliuus est & præceps.

CAPVT XLI.

Quæ munera Iesuitæ accipiant, quæ respuant.

NIDeor iam videre te, manu sublata audientiam & attentionem petere, illudq; velle dicere: Iesuitas versutia quadã seruare istas leges, vt fiant locupletiores, et in confessionibus quidem vnum aut alterum solidum, & in Collegio duos aureos didactri seu minerualis loco dari solitos, aliaq; eiusmodi minuta munuscula recusare: at si offeratur hereditas aut opimum beneficium & Sacerdotium, alijsue prouentus luculentus, si ciuium quispiam aut aliqua ex matronis, pietatis amore, si adolescens copiosus & nobilis in societatem ascitus, chiliadas aliquot auri & argenti donet, Iesuitas non esse tam rigidos, & in legibus suis obseruandis tam immotos, vt religioni habeant, quò minus legis seueritatem nonnihil relaxent & mitigent, vt elogijs & benedictionibus tam exoptatis locum aliquem præparent: ac proinde eò ceteris esse callidiores; dum enim alij quasi conchis legendis intenti occupantur, istos grandia cete venari. Videlicet illud est, quod & in tua actione insinuas potiùs, quàm explicas. Et hic est lapis ille offensionis, in quem primò omnium incurritur, tunc cùm de immensis Iesuitarum thesauris sermones instituuntur.

Sed multa suppetunt, quæ pro Iesuitis respondeamus, reiectis calumniarum spiculis ad illos ipsos, à quibus prodierunt. Primum igitur dico, Iesuitas nihil recusare vel admit-